421

1532. d. 15 Maii

Andreas Cricius Episcopus Plocensis
P. Tomicio Epo Crac. Vicecancell.o

120

Rme in Christo Pater et Domine benefactor Colendissime.

Ad literas Rmae Dominationis Vestrae quas iam pridem accepi nunc primum respondere cogor neque dum tamen liber a summis meis occupationibus quibus hic obruor.

Testamentum Luci Cuspidii Romani quod mihi Vestra Rma Dominatio mittere dignata est, Nobile vetustatis conventum, magno mihi fuit solatio commodum cum meum testamentum, mastus recognoscerem, placuerunt summe omnia, sed dispositio de servis precipue hoc modo, si nunc testamenta conderentur, servos haberemus minus contumaces et maledicos.

Mandare mihi dignata est de hinc Rma Dominatio Vestra ut scriberem duo exempla literarum in Robem quae mitto, quibus si illi videtur adjungere dignetur, rogo de prorogando jubileo ad structuram ecclesiae meae tantum ad Dies quadragesimales et Pascha. Nam jubileum hujus anni serius aliquan-

to

allatus fuit, quam ut debite publicari et in bo
num ordinem, ut ex usu fuisset, disponi potuerit
nunc primum enim, cognovimus, quo pacto com
mode, hac Gratia dispensari debuit cum expi
rat.

De elogio vero ad Sacellum Rmae Dominis Vrae
prorsus non intelligo quomodo ex animo Rmae
Domi Vestrae scribi deberet, si litterae sculpi de
bent, in ipso sepulchro ibi Nomina, vita et merita
decentius annotantur, si vero circum, vel supero
stio aut in pariete ibi dictum aliquod, apposita
magis, quadrat id clare, ex literis Rmae Dominatio
nis Vestrae, cognoscere non potui, porro cum prius
exempli tantum causa miseram Rmae Dominatio
ni Vestrae Epigramma, scribendum sub ejus imagi
ne, offenderant ejus modestiam, laudes quae ei
videbantur, immodicae, Nunc igitur si in tumulo
notanda est vita, et merita Rmae Domi Vestrae
ut fieri solet, quid aliud scribi debeat, sine laudi
bus, ego prorsus non comperio. Quamvis ante
laudes quae cuiq in vita tribuuntur, majorem vi
B
dentur habere speciem, adulationis quam judicii,
praesertim in fortunis, unde vetat scriptura, non lau
daudum quemquam ante mortem, tamen cum re
ceptum, et solemne sit viris eruditis in scriptis suis

Homines meritos laudibus celebrare, quae latius patent quam illa quae sepulchris inscribuntur, quas tamen quotus quisque est, qui de se non libenter audiat, etiamsi absint a veritate; invidiae vero ut inquit Poeta, non est in monumenta locus, nescio quid refugiat. Vestra Rma Dominatio ut ea sint in tumulo, vel sub ejus imagine quae passim sunt, in ore omnium, aut igitur hae annotanda sunt, in Vita, quae in Vita aruuntur, aut relinquendum ubi post Vitam annotentur.

Quare valde perplexus in hac re adhuc exquirendum, duxi a Rma Dominatione Vestra num titulus sepulchro sit scribendus, an parieti dictum aliquot, sacello et sepulchro appositum, prosa ne an carmine, et in summa gustum suum, in hac re paulo clarius mihi judicare dignetur, ut condimentum esse possit ad ejus stomachum

Accepi etiam constitutionem novam de tuendo privilegio Nostro quae videtur hic apud hos Principes esse ludibrio, egoque prorsus non intelligo ad cujus instantiam, quo justigante et quo processu exequi ubi opus est, debeat enim nobis aut pronisis Nostris ista ut mihi videtur, non licere.

Quare supplico Rmam Dominationem Vestram

ut

Ut super hoc aliquam mihi instructionem dare, et
si quia opus esset, ad hoc Capitaneos mittere di
gnaretur. Cujus Gratiae me etiam atque etiam di
ligentissime Commendo

Ex Slotzno 13 Maii Anno Domini 1532